

*Digest. Lib. XII. Tit. I.***De rebus creditis, si certum petetur,
& de conditione.**

§. 1. *Creditum* notat in genere quoscunque contractus, quos alienam fidem secuti instituimus. In specie verò & strietè notat

Mutuum, quod est Contractus, quo res fungibilis (h. e. pondere, numero, mensurâ æstimabilis) in hoc datur, ut fiat accipientis, & tantundem ejusdem generis & qualitatis reddatur. Cujus not. 1. *Forma*. 2. *Materia*. 3. *Efficiens*. 4. *Finis vel Effectus*.

§. 2. I. *Forma*: Spectatur *Mutuum*

vel *abstractè* & signatè, quatenus est *Mutuum*, h. e. conventio & contractus in se, tanquam causa s. titulus, præcisâ traditione.

vel *concretè* & exercitè, quatenus est *Mutuatio* h. e. rei fungibilis traditio & acceptatio, ita ut fiat accipientis, eâque uti possit, animo utrinque *mutuum* intendente, non aliud.

§. 3. NB. 1. *Qui pecuniam creditam nondum accepit, vel sponsione saltem hunc contractum inchoavit, non tenetur ex mutuo, sed ex sponsione.*

2. *Si animus alterutrius mutuum non intendit, consumptis nummis, conditione sine causa tenetur qui accepit. Quod si vero tradens animo donandi dederit, exceptione doli repellitur.*

3. *Si tradens animo donandi, pecuniam eam antea debuit accipienti, accipiens proprietatem ejus acquirit, licet sine causa videatur accepisse, sufficit enim jam ante adfuisse causam.*

§. 4.